

nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium; qui earum spem gerere perhibetur. Ratio est, quia spes theologica est actus concupiscentiæ circa bonitatem divinam respectivam, ut ipsi concupiscenti bonam; tali autem actu quis non concupisceret beatitudinem ut sibi, sed ut alteri bonam; adeoque desiderium ejusmodi ad amorem benevolentiae vel amicitiae, non autem ad spem theologicam pertineret. Atque hinc quidem patet imprimis discrimen, cur eodem habitu *charitatis* amemus Deum, nos ipsos, et proximum propter Deum, utpote ubi semper pro objecto formali attingitur bonitas divina *absoluta*; quin tamen eodem spei habitu propriam et alienam beatitudinem sperare possimus, ob diversum scilicet motivum. Deinde vero constat, non nisi *improprie* desperari de aliena salute; quia ejusmodi desperatio potius fiducia in Deum, quam spei theologicae opponitur. Denique sequitur, desiderium salutis et erectionem animi ad fundendas preces non ex concupiscentiæ amore, sed ex benevolentia proficisci etiam in illo casu, quo Deus promitteret viatori sancto, intuitu ejus precum, a se alteri peccatori concedendam veniam et salutem.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM FORMALE SPEI THEOLOGICÆ?

241. *Nota I.* Sunt qui simplex pro spe objectum formale statuunt, *arduitatem objecti sperati*; sed arduitas se habet ad spem, sicut obscuritas ad fidem: adeoque non est ratio motiva, sed modus duntaxat objecto inherens ac proprius, potius sæpe retrahens a sperando. Alii *bonitatem Dei respectivam* statuunt; sed quamvis hæc bonitas ratio esse possit, cur rem quis cupiat; non tamen spei actus ultimato resolvitur in illam bonitatem, adeoque ratio formalis saltem adæquata non est. Nec felicius assignant alii *miseri cordiam* et *omnipotentiam* divinam; objectum enim ut possibile, sub qua ratione sperata res omnipotentiam connotat, voluntatem non allicit, sed ut bonum. Cum itaque ex his singulis nullum satisfaciatur, ac præterea actus spei, utpote vel formaliter vel æquivalenter triplex, possit ac debeat habere diversas rationes formales; cum communiori jam Theologorum pro singulis spei formalitatibus singula objecta formalia designatum imus.

242. *Nota II.* Juxta Theologos, absoluta et respectiva bonitas desumitur a diversa consideratione perfectionis in ordine ad subjecta, unde etiam diversus amor nascitur; atque hinc *absoluta* dicitur, qua aliquod ens in se bonum est, et in ordine ad se spectatur; ex quo amor æstimationis, benevolentiae ac amicitiae profluit: *respectiva* vocatur, qua ens alteri bonum est, et in ordine ad alios spectatur; ex quo oritur amor concupiscentiæ, prosecutionis ac desiderii: quia vero res alteri secundum diversa potest esse bona, atque hinc appetibilis, in bonitate Dei respectiva diversæ relationes attendi debent, inter quas pro ratione objecti spei primarii etiam primaria est, quæ in ordine ad visionem et amorem beatificum habetur; unde et nomine hujus bonitatis Dei respectivæ venit ejus possessio seu Deus possidendus, non præcise ut aliquod bonum creatum, sed ut donum Dei, prout nos uniens cum Deo, adeoque ut aliquod *moraliter* divinum. Similiter virtus Dei auxiliatrix non

dicit tantum omnipotentiam Dei et misericordiam, sed et auxilia ac media a Deo profecta et necessaria sive utilia ad consecutionem boni sperati.

243. *Dico I.* Objectum formale spei theologicae, prout hæc dicit formalitatem desiderii, est *bonitas Dei respectiva*.

Prob. Prout spes dicit formalitatem desiderii, non tantum est actus virtutis theologicae ad voluntatem spectantis, sed et amor concupiscentiæ. Atqui dum ut virtus voluntatis pro objecto habet bonitatem, ut theologica bonitatem divinam seu Deum qua bonum, debet ut amor concupiscentiæ pro motivo respicere *bonitatem Dei respectivam*; cum amor concupiscentiæ per hoc distinguatur ab amore æstimationis, benevolentiae ac amicitiae seu a charitate, quod ille feratur in bonum, prout amanti bonum est, non autem prout præcise bonum est in se et absolute; ergo.

Conf. Idem est objectum formale *gaudii*, quod est desiderii: sed objectum formale *gaudii* est divina bonitas respectiva sive Deus ut nobis per sui possessionem bonus; ergo idem etiam est objectum spei, prout formalitatem desiderii importat.

244. *Dico II.* Objectum formale spei theologicae, prout hæc dicit formalitatem erectionis animi, est *virtus Dei auxiliatrix*.

Prob. Illud est objectum formale spei secundum hanc formalitatem, quod est ratio formalis et immediata, cur voluntas audeat contra difficultates conari, et earum sibi victoriam promittere; quia erectio ejusmodi est conatus quidam voluntatis ad superandas difficultates, cum exclusione desperationis ne illæ superentur: sed hæc ratio est virtus Dei auxiliatrix; tum quia hæc præstat ratione *omnipotentiae*, ut victoria difficultatum sit absolute possibilis, ratione *miseri cordiae* autem, ut illa etiam sit nobis proxime possibilis: tum quia interrogatus: cur quis speret beatitudinem obtentu quantumvis difficilem, seu contra difficultates animum erigat? respondet, quia Deus *potens* valet auxilium ferre, et *miseri cors* vult ferre, seu paratus est ad ferendum auxilium; sicut æger ad quæstionem, cur sanitatem vehementer afflictam reparandam nihilominus speret? reponit: quia præsto est medicus peritus et ad medicinam salubrem dandam paratus; ergo.

Conf. Scriptura sæpe proponit jam virtutem Dei auxiliatricem, jam singulas hujus virtutis partes, *miseri cordiam* nempe et *omnipotentiam* tum ad contestandam tum ad excitandam spei erectionem, ut patet ex Ps. 17. 3. *Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum.* Genes. 15. 4. *Noli timere: Ego protector tuus, et merces tua magna nimis.* Ps. 12. 6. *Ego autem in misericordia tua speravi;* Quæ verba David Ps. 51. 10. repetit. Isa. 26. 4. *Sperastis in Domino Deo forti.* 2. Reg. 22. 3. *Deus fortis meus, sperabo in eum.,* etc.

245. *Dico III.* Objectum formale spei theologicae, prout hæc dicit fiduciam, est *fidelitas Dei in promissis*, vel omnipotentia ac misericordia Dei per promissionem obligata.

Prob. Motivum spei secundum hanc formalitatem est illud, quod datur pro ratione formali et immediata, cur confidamus bona sperata nos esse obtenturos: sed hæc ratio est Dei promittentis *fidelitas*; quia, supposito

quod Deus beatitudinem et media ad illam nobis promiserit, sitque omnipotens, et promissa servare valeat; ex eo præcise ac formaliter habetur fiducia beatitudinis consequendæ, quod Deus promissa sua præstare velit, nec voluntatem mutet; quia ex hoc capite certo inferimus objectum futurum; ergo.

Conf. Spes, ratione fiduciæ, dicit firmitatem et certitudinem, indeque ad Hebr. 6. vocatur *anchora tuta et firma*; Tridentinum vero docet, *omnes debere in auxilio Dei spem firmissimam ponere*: sed hujus firmitatis motivum in Scriptura assignatur fidelitas divina in promissis, ibid. 10. 23. *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis enim est, qui repromisit.* Et ad Tit. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus*; ergo.

246. *Obj. cont.* 1^{um}. Nullus actus resolvi potest in bonitatem rei speratæ tanquam in motivum, cui innitatur; ergo bonitas Dei respectiva nequit esse objectum formale spei theologicæ. *Prob. Ant.* 1^o. Licet interroganti, cur aliquam rem amem vel desiderem vel de ea læter? recte respondeam, quia bona est; tamen quærenti, cur sperem? ita reponere non possum: qui enim postremum quærit, sciscitatur, qua re motus aut fretus in illius rei assequendæ spem veniam? Sicut qui quærit, cur credam? interrogat, qua re motus aut fretus præbeam assensum? 2^o. Licet bonitas rei speratæ non sit indifferens, ut quis eam amet aut oderit, desideret aut fugiat, de illa gaudeat aut tristetur; tamen secundum se est indifferens, sive ut eam speremus, sive ut de ea obtinenda desperemus, ut experientia circa eandem beatitudinem respectu diversorum hominum probat; ergo actus sperandi in bonitatem tanquam motivum resolvi nequit. 3^o. Motivum desperationis non est bonitas vel malitia rei, de qua desperatur, sed vel infirmitas virium vel defectus alieni auxilii; ergo a contrario bonitas rei speratæ non est motivum formale spei, sed vel propria sperantis industria vel alienæ potestatis auxilium.

R. N. A. vel D. Nullus actus sperandi, sumptus secundum formalitatem desiderii, resolvi potest in bonitatem etc. N. sumptus secundum formalitatem erectionis animi aut fiduciæ T. Hinc

Ad prob. 1^{am}. D. Ita non possum respondere quærenti, cur sperem, si actum sperandi considero, prout prosecutive tendit in objectum N. Si eundem præcise sumo, prout tali modo tendit C. Quæstio illa, cur sperem, habet duplicem sensum: *primum*, cur velit assequi tale bonum? cui respondetur per specialem rationem motivam, sub qua illud vult, nempe bonitatem; *secundum*, cur tali modo tendat in objectum, id est, cur erigatur animo concipiatque fiduciam illud assequendi, quamvis arduum ac difficile? huic respondetur per motiva erectioni et fiduciæ propria. Atque hoc speciatim etiam elucet in spe theologica; nam si quærat, cur tendamus ad Dei visionem, eandem appetendo? apte respondetur: quia est summum bonum nostrum: si vero cur tali modo tendamus, per erectionem nempe animi et fiduciam illius assequendæ? ratio recte datur, quia Deus paratus omnino est auxilium nobis dare, quantum sufficit, ut eam assequamur.

Ad prob. 2^{am}. N. *Cons.* Sequitur enim duntaxat, voluntatem posse diversimode se habere circa idem objectum formale diversimode apprehensum:

nempe circa illud audendo et animum erigendo, atque *prosecutive* tendendo, si apprehendatur ut possibile ac probabiliter futurum; vel e contrario abjiciendo animam ac diffidendo et tendendo *aversative*, si apprehendatur ut impossibile aut nimis difficile.

Ad prob. 3^{am}. D. A. Motivum desperationis, h. e. abjectionis animi ac diffidentiae non est bonitas vel malitia objecti C. motivum desperationis, h. e. aversionis aut omissæ tendentiæ in objectum, non est bonitas *Subd.* secundum se sumpta C. apprehensa ut impossibilis aut non obtinenda N.

Inst. 1. Amor concupiscentiæ non pertinet ad constitutiva spei sed ad eam præsupponitur, sicut ad timorem præsupponitur amor rei, quam quis amittere timet; ergo bonitas respectiva nullò modo potest esse objectum formale spei.

R. D. A. Amor concupiscentiæ sumptus pro simplici complacentia aut affectu amoris cujuscumque vel desiderii inefficacis non pertinet ad constitutiva spei C. amor concupiscentiæ prosecutivus boni ardui ac futuri et desiderio efficaci expressus N. Amor primo modo acceptus timorem æquæ ac spem præcedere debet aut potest; secundo modo acceptus ad spei essentiam ex supra dictis pertinet.

Inst. 2. Si bonitas respectiva esset motivum actus spei, et hic esset simul actus concupiscentiæ; ergo spes non amitteretur solo peccato desperationis, sicut fides solo infidelitatis peccato juxta TRID. Sess. 6. c. 13. deperditur; sed etiam quocumque alio peccato mortali commisso cum advertentia, quod illud bono nostro supernaturali adversetur; cujusmodi tamen sunt omnia fere peccata mortalia Christianorum, quibus peccantibus id notissimum est ac fere semper occurrit memoriæ: hoc enim peccatum *directe* opponitur amori et desiderio boni supernaturalis non minus ac charitati et amicitiae erga Deum. Sequela est falsa; ergo.

R. N. *seq.* quoad 2^{am}. p. Quamvis enim, juxta plures, *probabilius* dicatur, spem amitti non tantum per peccatum desperationis, sed etiam per quodcumque aliud peccatum mortale affectibus virtutis spei incompatibiliter repugnans, illosque prorsus excludens a subjecto; cujusmodi statuitur voluntas deliberata nunquam sperandi, contemptus aut neglectus absolutus proprii boni supernaturalis, et peccatum mortale admissum cum advertentia, quod tali bono graviter adversetur, aut nos illo privet, præsertim irrevocabiliter: falsum tamen imprimis est etiam in plerisque Christianis peccantibus vigere illam notitiam et adesse advertentiam. Deinde vero discrimen oppositionis in peccato mortali cum *charitate* ac *spe*, ex alibi dictis est manifestum; quandoquidem peccatum mortale est formalis offensa Dei, ejusque contemptum *formaliter* includit, qui sane cum Dei amicitia stare nequit; cum e contrario, quamvis *causaliter* inducat privationem boni nostri supernaturalis, tamen hæc a peccantibus sæpe ignoretur, aut saltem non attingatur.

247. *Obj. cont.* 2^{um}. Virtus Dei auxiliatrix pertinet ad causam efficientem objecti sperati, h. e. beatitudinis; imo actus spei supernaturalis; ergo non est motivum seu causa objectiva; præsertim, cum alias daretur mutua naturæ prioritas, quia auxilium divinum, quod speratur, causatur a spe, et tamen si illud motivum spei foret, spes ab eo auxilio causaretur. *Conf.*

Eadem virtus, quacumque ratione spectetur, nequit esse motivum spei, etiam secundum formalitatem *erectionis*: si enim spectetur ut bona absolute, est objectum charitatis; si ut bona respective, est objectum spei sumptæ secundum rationem *desiderii*; si ut utilis ad obtinendam beatitudinem, non habet rationem objecti formalis, sed medii propter aliud amati; ergo.

R. N. Cons. Patet enim contrarium in medico, qui motivum sperandæ sanitatis unaque causa eam *efficiens* sæpius habetur. Ad id quod additur R. N. Ass. Ad rationem D. Idem numero, quod speratur, causatur a spe N. aliud numero C. Auxilium divinum concurrens ad productionem actus spei est distinctum ab auxilio altero, quod in præmium spei conceditur: atque hoc licet possit esse causa *finalis* spei eliciendæ; tamen quia causa finalis, nec ut existens, nec ut futura causat, physice profecto et in eodem ordine prior non est suo effectui.

Ad Conf. R. N. Cons. Virtus auxiliatrix, prout est objectum spei, spectatur præcise sub ratione efficaciam sibi propriam, qua rem speratam reddit possibilem et, non obstante quacumque ejus arduitate, probabiliter futuram, eo quod sub hac ratione voluntatem erigat, firmetque in boni prosecutione. Cum hac responsione congruit aliorum enuntiatio, qui volunt spem versari circa virtutem Dei auxiliatricem ut dignam, cui confidatur; sicut fides versatur circa veritatem primam, ut dignam, cui credatur, charitas circa bonitatem Dei ut dignam, quæ ametur propter se.

Inst. Si assertio nostra teneret, sequeretur e contrario, *timorem gehennæ* debere pro motivo suo habere Deum comminantem, adeoque etiam esse virtutem theologiam: sicut enim interroganti: cur speras? respondemus: quia Deus paratus est per sua auxilia subvenire; sic etiam sciscitanti: cur times gehennam? respondendum foret: quia Deus illam comminatur; atque hinc Deus *comminans* non minus esset objectum formale timoris, ac Deus *auxilians* objectum spei dicitur.

R. Quamvis *timor Dei ut vindicis* possit pertinere ad virtutem theologiam spei, sicut timor offensæ Dei, ex motivo Dei summe dilecti conceptus, habetur pro actu secundario charitatis; propterea quod eadem virtus primario prosequitur proprium bonum, et secundario aversatur ac fugit malum suo bono directe oppositum: nihilominus N. seq. et prob. Imprimis enim falsum est, quod Deus *comminans* necessario statuendus sit pro motivo timoris gehennæ: deinde *disparitatem* produunt prædicata divina; cum omnipotentia et bonitas Dei sit per se et ante nostra merita ad auxilia et vitam æternam dandam disposita, justitia vero vindicativa et comminatoria non sit prona ad infligendam pœnam ante demerita, prætereaque hanc non intendat, uti bonitas vitam æternam. Inde autem sequitur, quod interrogatus de spe, debeat pro motivo *primario* reddere virtutem divinam auxiliatricem; timens autem pro eodem assignare malum pœnæ probabiliter imminens, et pro motivo solum *secundario* ac ex suppositione consequente comminationem divinam.

248. Obj. contr. 3^{um}. Ad secure desiderandum seu sperandum cum fiducia aliquod objectum sufficit illud esse futurum, præseindendo ab hoc vel illo medio, quo est *active* futurum; ut patet in eo qui, cum mediis vel determinate non cognitis, vel etiam perspectis, prudenter judicat vel scit se dignitatem obtenturum, secure desiderare dignitatem potest, quin moveatur

à mediis etiam sibi cognitis: præsertim cum alias etiam merita nostra forent motivum spei theologice, si, quod ad rem *active* futuram per modum causæ vel conditionis spectat, necessario tanquam objectum formale constituendum esset. Sed beatitudo est *formaliter* futura per seipsam ac præseindendo a fidelitate Dei in promissis vel omnipotentia Dei per promissionem obligata; ergo.

R. D. M. Ad secure desiderandum actu spei quocumque aliquod objectum sufficit etc. C. ad secure desiderandum actu spei theologice N. Ut spes, etiam secundum rationem fiduciam, habeat veram notionem virtutis theologice, non sufficit habere pro motivo futuritionem formalem beatitudinis præsertim *formalis*, sed requiritur futuritio *causalis*, quæ, quoad possibile, ab omnipotentia, quoad certitudinem, a fidelitate Dei in promissis habetur. Hinc Ad prob. 1^{am}. patet disparitas. Ad 2^{am}. prob. R. Communior sententia pro formali fiduciam motivo *secundario* statuit omnia illa media, quæ ad obtinendam beatitudinem sunt ordinata; qualia sunt merita Christi Salvatoris, accurata observantia mandatorum, pius ac frequens usus sacramentorum, exercitium virtutum, mutæ justorum in terris degentium preces, intercessio Sanctorum in cœlis, pro quibus tam auctoritas quam ratio pugnat.

Inst. Seclusa omni *promissione*, sufficiens motivum fiduciam habetur per ipsam potentiam, misericordiam, liberalitatem, justitiam remuneratorem aliasque ejusmodi perfectiones divinas; prout hoc ipsum etiam patet a paritate in *humanis*; ergo. Conf. Plura, nempe auxilium efficax, finalem gratiam etc. et petimus et speramus a Deo, quæ tamen non sunt *promissa* ab eodem, atque hinc pro motivo fidelitatem divinam connotare nequeunt; ergo.

R. D. M. Seclusa promissione divina sufficiens motivum fiduciam adeo firmæ, quam spes theologica importat, haberi potest N. fiduciam qualiscumque C. Experientia, ad quam in *humanis* provocatur, potius ostendit contrarium, cum mendicus longe confidentius elemosynam sibi *promissam* a divite ac liberali speret, quam ab altero æquali, qui nihil promisit: atque hinc etiam, quia illæ perfectiones divinæ dicunt in Deo inclinationem ad concedenda sperata, non vero necessitatem, qua omne desideratum debeat dare ac obligetur; spes, quæ in Deo habita non confundit, fidelitati etiam inniti debet; id, quod ulterius declarant tot in Scripturis consignatæ promissiones divinæ, quæ sane forent superflue, si tanta sine illis fiducia citi posset.

Ad Conf. R. D. A. Plura petimus et speramus, quæ a Deo non sunt promissa promissione saltem generali, quia ille promisit adesse in nomine Christi petentibus, rogantibus, pulsantibus et invocantibus se N. Promissione semper particulari, specialiter ad tale objectum terminata C. Inde vero actum spei unum præ altero et confidentiorem et contra difficultates audentiorem facile concedimus.

249. Observa I. Ex dictis patet, quodnam sit objectum *adæquatum* spei formale constituendum, Deus nempe ut remunerator seu ut nobis bonus, ut auxiliator, et ut promissor fidelis: sicut enim pro fidei motivo auctoritatem Dei et revelationem simul statuimus, sic præter fidelitatem etiam promissio-

nem divinam hic in complementum motivi fiduciae adjungendam censemus. Nec refragatur nobis D. THOMÆ auctoritas hic q. 17. a. 4. in 0. *Spes duo respicit, scilicet bonum quod obtinere intendit, et auxilium per quod illud bonum obtinetur; bonum autem quod aliquis sperat obtinendum, habet rationem causæ finalis, auxilium autem, per quod aliquis sperat illud bonum obtinere, habet rationem causæ efficientis*: cum hic quaestionem nostram et sub his terminis non tractat, uniceque probat quod bonum speratum habeat rationem causæ finalis, respectu virtutis spei ut prosequentis et enitentis illud assequi, auxilium vero divinum rationem causæ efficientis, respectu assecutionis ejusdem boni; quin neget auxilium esse id, ex cujus consideratione assurgat voluntas in spem, et fiduciam habeat: in Quaestionibus enim disputatis q. un. de spe, a. 1. in Conclus. aperte pro nobis definit scribens: *Sicut formale objectum fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit (intellectus) his, quæ creduntur... ita etiam formale objectum spei est auxilium divinæ pietatis et potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt objectum materiale spei*. Atque his similia ibid. ad 4. et a. 4. repetit: quid? quod loco supra objecto a. 1. statuit, spem nostram attingere ad ipsum Deum, cujus auxilio, nempe ut objecto formali, innitur. Ubi vero non adeo diserte divinam in promissis fidelitatem adjungit, vel de spe minus adæquate nec secundum perfectionem certæ fiduciae sumpta loquitur, vel potentiam Dei auxiliatricem promissione obligatam intelligit; quo postremo sensu etiam accipi debet illud Ps. 20. *Rex sperat in Domino et in misericordia Altissimi non commovebitur*: spem enim formaliter immobilem non facit misericordia Dei secundum se et inclinationem duntaxat ad bona concedenda exprimens, sed promissionis obligatione et fidelitatis vinculo determinata.

250. *Observa II.* Spem esse virtutem a charitate distinctam, satis probat duplex distinctionis signum, separabilitas scilicet et relationis oppositio. Liquet id præterea ex objecto formali utriusque, cum spes secundum formalitatem amoris ac desiderii pro motivo respiciat bonitatem Dei respectivam, charitas autem absolutam. Veritati huic ab omnibus alias receptæ duplex Auctorum quorundam genus repugnat. Alii enim amorem Dei ut nobis boni, vitii et male mutati ordinis insimulant, adeoque vel spem virtutem negant, vel cum charitate confundendam jubent; sed contra hos agetur, ubi de spei honestate. Alii e contrario contendunt, nihil posse a nobis amari, nisi illud sit nobis bonum; cum non sufficiat rem amandam esse simpliciter et absolute bonam, sed requiratur ut amanti sit bona et conveniens; adeoque charitatem a spe distinctam esse fictitiam: verum et hoc, ubi de charitate loquemur, facile diluetur, et objectio allata sophismate laborat: si enim per voces illas, *nobis bonum* et conveniens, intelligatur quod res amata debeat pollere virtute amantem perficiendi, aut amans debeat esse ordinatus ad rem illam, vera omnino est propositio: si autem sensus sit, rem illam, ut ametur, semper referri oportere ad ipsum amantem tanquam ad finem, propositionis falsitas tum ex obviis exemplis tum ex infra dicendis perspicua est.

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS ET AFFECTIONIBUS SPEI.

ARTICULUS I.

AN ACTUS SPEI THEOLOGICÆ SIT SUMME CERTUS?

251. *Nota.* Inter spei proprietates est certitudo: honestas et necessitas ejusdem affectiones dicuntur. Certitudo alia est infallibilitatis seu indefectibilitatis a vero, altera firmitatis seu indubitabilitatis. Prior formaliter nequit haberi in actu spei et ratione sui, sed denominative tantum et participative ab actu intellectus, a quo dirigitur, ut docet D. THOMAS hic q. 18. a. 4. *Certitudo invenitur in aliquo dupliciter, scilicet essentialiter et participative: essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative autem in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum*. Atque hæc spei certitudo participata vocari etiam potest infrustrabilitas. Posterior, quantum præcise dicit firmitatem et adhæSIONEM actus ad suum objectum, non actibus duntaxat intellectus sed et voluntatis convenit, cum hoc uno discrimine, quod firmitas intellectus excludat dubium et fluctuationem intellectus, voluntatis autem firmitas timorem ac voluntatis fluctuationem. Præterea, cum spei certitudo ex actu intellectus prævio dependeat, adverti debet circa objectum materiale spei duplicem Dei promissionem haberi, alteram absolutam de auxiliis supernaturalibus saltem sufficientibus, alteram conditionatam de beatitudine adultis conferenda, si nempe hi serio et efficaciter auxiliis ejusmodi cooperentur; atque hinc illam promissionem essentialiter esse infrustrabilem, hanc vero sæpius frustrari, non quidem ex defectu infallibilitatis et virtutis divinæ, sed ex hominis defectu, nec positæ ab eo conditionis. Porro secundum hæc Catholici omnes distinguunt tum inter objectum spei tum inter ejus certitudinem, quantum respicit vel Deum vel nos; cum e contra Novatores, qui existimant fidem esse certam animi fiduciam, qua unusquisque indubitanter sibi applicat promissiones futuræ beatitudinis generatim factas, statuunt unicuique firmiter esse sperandum, seu in erronea eorum phrasi, credendum, se esse ex numero prædestinatorum ac certo salvandum. Contra quos

252. *Dico I.* Actus spei theologicæ, quantum ex parte Dei, est summe certus seu infrustrabilis, et summe firmus seu excludens omnem timorem.

Prob. 1^a. p. Ad Rom. 5. 5. *Spes non confundit*; Ps. 24. 3. *Qui sustinent te, non confundentur*; et Eccli. 2. 11. *Scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est*; 2. ad Tim. 1. 12. *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare*. Unde sic arguere licet: si spes ex parte Dei non foret summe certa, suo quandoque frustraretur effectu, aut frustrari certe